



## The Holy See

---

**IOANNES PAULUS PP. II LITTERAE APOSTOLICAE QUONIAM IN PRAESENTI** IN RE PUBLICA TOGANA  
**NUNTIATURA APOSTOLICA CONDITUR** Ad perpetuam rei memoriam. Quoniam in praesenti publicae necessitudinis rationes, quae huic Apostolicae Sedi cum Republica Togana intercedunt, feliciter coniunctae sunt, quo firmiores eae redderentur aptiusque Christifidelium ibi degentium supernae saluti provideretur atque regimini, peropportuno Nobis est visum Apostolicam Nuntiaturam in ista Civitate condere. Itaque certa scientia ac matura deliberatione deque Nostra summa potestate, harum Litterarum vi, Apostolicam Nuntiaturam apud Rempublicam Toganam erigimus et constituimus, eidemque omnia et singula deferimus officia, privilegia atque indulta, quae Legationum huiusmodi propria sunt. Haec edicimus, statuimus, decernentes has Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere suosque plenos atque integros effectus sive nunc sive in posterum obtinere et sortiri. Contrariis nihil obstantibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXI mensis Aprilis, anno MCMLXXXI, Pontificatus Nostri tertio.* AUGUSTINUS Card. CASAROLI, a publicis Ecclesiae negotiis © Copyright 1981 - Libreria Editrice Vaticana